



The Holy See

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE *CHRISTIFIDELES DIOECESIS* BEATA MARIA VIRGO SUB
TITULO «IMMACULATAE CONCEPTIONIS»**

PATRONA APUD DEUM DIOECESIS MALAGENSIS-SOATENSIS CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Christifideles dioecesis Malagensis-Soatensis Beatam Mariam Virginem sub titulo «Immaculae Conceptionis» utpote
quae materna sua caritate fratres Filii sui adhuc peregrinantes protegat, mira veneratione amplectuntur. Ipsorum spiritale
bonum prae oculis habens Venerabilis Frater Ferdinandus Giraldo Jaramillo, Episcopus Malagensis-Soatensis,
communia etiam vota excipiens, Beatam Mariam Virginem Patronam apud Deum dioecesis suae elegit, atque petivit ut
huiusmodi electio ab Apostolica Sede confirmaretur. Nos quidem enixis huius Venerabilis Fratris precibus libentissimo
animo obsecundantes, comprobatis iis quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, facultatibus a
Nobis factis, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Beatam
Mariam Virginem sub titulo «Immaculae Conceptionis» Patronam apud Deum dioecesis Malagensis-Soatensis
confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae «Normis de Patronis constituendis» nec non
Instructione «de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, indicantur.
Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum
consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris,
die XXVIII mensis Ianuarii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.* ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana
